

fabros ad opus urgere ; novas triremes exædificare ; veteres sarcire ; tormenta fundere ; ipse nonnunquam præsens adesse ; fossorum ingentem numerum in Græcia conscribere ; in Peloponneso magnam nautici panis vim conficere . Remiges interea Byzantium ad classem confluebant ; triremes vigintiquinque ad apparatus bellicos ex Alexandria subvehendos instruebantur . Turcis pertimentibus , ne , triremium manu primo quoque tempore a Venetis in oras illas immissa , ea navigatione intercluderentur : coeptam insuper in Leuctris Mainæ munitionem urgebant , ut , naviis aliquot in tuta statione locatis , subsidia , quæ in Cyprum mitterentur , interciperent . Regi (uti vulgo ferebatur) in expeditionem ituro infinitus prope Camelorum numerus , impedimenta , sarcinae , quæque Ottomanis Principibus ad bellum proficiscentibus ingenti sumptu expediri solent , parabantur , ut jam consilia , quæ mira dissimulatione tegere conati fuerant , licet antea erupissent , diutius premere Turcæ non possent . Itaque Mehemetes Hibraimum ad Marcum Antonium Barbarum mittit , qui Cyprum a Selymo postulari significet . Idem postea ipse quoque Regis nomine a legato petit ; causas prætendit , quibus justum Reipublicæ bellum inferri demonstrat : *Piratas christianos in Cypro recipi ; ea , quibus opus habent , suppeditari ; a magistratibus (uti pacis legibus cavebatur) non coerceri ; inde iis locis insidentes , Turcarum navigia , negotiatores ultro , citroque commeantes intercipere , prædas agere . Addit , piratas Turcas , qui post prælium initum vivi in Venetorum potestatem venirent , crudeliter jugulari , neque ex pacis prescripto Byzantium mitti ; proinde legis interpretes ob fœdus a Republica violatum Selymum jurejurando solutum affirmare ; illius conscientiæ religionem injicere , quod Cyprum , quæ Musulmanorum fuerat , aliis parere , ubi eorum templum extitissent , nunc Christianorum ecclesias inspici pateretur . His commotum antequam in Imperio succederet , Cypriam expeditionem decrevisse .*

His auditis , minime sibi videri , Barbarus inquit , ullam in Venetos arma movendi Selymo justam causam esse : cunctis patere , prædones , qui in Cyprum ad aquationem faciendam , aut commeatus capiendos , accederent , ab equitatu , qui a Republica alebatur , semper ejectos ; navigia vero , ac Selymi

Turcas Cy-
præ a Mar-
co Antonio
Barbaro le-
gato petit .

Marcii Anto-
nius Bar-
bari ad
Turcas re-
sponsum .